



NERVUS RERUM  
ET VERBORUM IN  
PENTATEUCHO  
MOYSES.

GENESIS.

CAPUT I.

**P**RINCIPIUM creationis aliud est causæ, aliud temporis. Illud est SS. Trinitas: hoc est primum punctum, momentum, sive instans temporis, quod appellatur primum Nunc, à quo cœpit feria prima, id est, dies Solis, qui respondit 25 nostri Martii, anno ante natum Christum 3949, sive hunc præsentem 5577. In hoc principio æquinoctii verni Deus creavit mundum: id quod potissimum ex eo colligitur, quòd Deus hanc rationem anni, tanquam optimam & naturalissimam, in anno sacro expressit.

2. Creatio, proprie dicta, est actio causæ universalis, producentis rem in instanti, vel ex nihilo, ut *vers. 1.* vel ex indispositâ materiâ, quæ est instar nihili, ut *vers. 27.*

3. Deus in primo temporis instanti creavit cœlum & terram, hoc est, circumferentiam & centrum totius mundi.

4. *Elohim* creavit mundum, hoc est, solus Deus, unus in tribus personis, quem Moyses *cap. 2.* undecies appel-